

quod ambulabant qua ibant pedes ejus evangelizantes, et ministrabant ei de substantia sua. Nominantur illæ mulieres in Evangelio, ubi erat quædam etiam uxor ejusdam Chuzæ procuratoris Herodis¹. Vide quæ fiebant. Futurus erat Paulus nihil tale aliquando quærens, et omnia Provincialibus donans. Sed quia multi infirmi ista quæsitura erant, magis infirmorum personam suscepit Christus. Sublimius Paulus, numquid et Christo? Sublimius Christus, quia misericordius. Cum enim videret Paulum ista non esse quæsiturum, providit ne damnaret quæsiturum, et præbuit exemplum infirmo: quomodo cum videret multos pronos et gaudentes ituros ad martyrium passionis, exultaturos in ipsa passione, fortes, centenarios maturos ad horreum; quorundam tamen infirmorum, quos videbat posse conturbari ventura passione, ne deficerent tamen, sed potius voluntatem humanam voluntati Creatoris conjungerent, ipsorum personam voluit suscipere in passione Christus, dicens: « Tristis est anima mea usque » ad mortem: » et iterum, « Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. » Docuit quid esset dicturus infirmus, sed secutus ostendit quid facere deberet infirmus. « Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater². » Quomodo ergo in passione infirmorum personam sustinuit, præfigurata illa in corpore suo, quia et illa membra ejus; neque enim frustra dictum est: « Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes » scribentur³: » sic et in oculis habendis, et in exigenda quodam modo annona, non petenda, sed præbenda indigentiam suscepit. Suscepit eum Zacchæus, et gaudet⁴. Cui hoc bonum? Christo, an Zacchæo? Vere, si non susciperet Zacchæus, non erat ubi maneret mundi fabrica-

¹ Luc. viii, 3. — ² Matth. xxvi, 38, 39. — ³ Psal. cxxxviii, 16. — ⁴ Luc. xix, 6.

tor? Aut si non pasceret Zacchæus, indigeret is qui de quinque panibus tot millia hominum saturavit? Cum ergo quisque sanctum suscipit, non suscepto, sed susceptori præstatur. Numquid in illa fame non pascebatur Elias? Nonne corvus afferebat panem et carnem, servo Dei serviente creatura¹? Missus est tamen pascendus ad viduam: non ut militi, sed ut Provinciali aliquid præstaretur.

XII. Ergo quia dicebamus, fratres, et de pascendis pauperibus, cum Dominus oculos haberet, tamen quando dixit Judæ eum tradituro: « Quod facis, fac velociter: » non intelligentes cæteri quid dixisset, arbitrati sunt eum dixisse, ut aliquid præpararet, quod daretur pauperibus. Ille enim oculos habebat, hoc in Evangelio scriptum est². Possent hoc suspicari, nisi hoc haberet in consuetudine Dominus? De his ergo quæ dabantur et in oculos mittebantur, dabatur tamen et illis pauperibus, quos Deus docuit non contemnendos. Sed si illum non contemnis, quanto magis bovem per quem trituratur hæc area? Quanto magis servum tuum? Non indiget cibo, forte veste indiget. Non indiget veste, forte tecto indiget, forte Ecclesiam fabricat, forte aliquid utile in domo Dei molitur; expectat ut attendas, expectat ut intelligas super egentem et pauperem. Tu contra, terra dura, lapidea, non irrigata, aut frustra irrigata, servas tibi dicere: Non sciebam, non noveram, nemo mihi dixit. Nemo tibi dixit? Christus non cessat dicere, Propheta non cessat dicere: « Beatus » qui intelligit super egenum et pauperem³. » Non vides arcam inanem præpositi tui? Vides certe vel surgentem fabricam, quo intraturus et oraturus es. Nonne admovetur oculis tuis? Nisi forte putatis, fratres, quia præpositi vestri thesaurizant: et novimus multos non thesaurizare, et ad quotidiana egere, de quibus omnino

¹ 3 Reg. xvii, 6. — ² Joan. xiii, 27-29. — ³ Psal. xl, 2.

non creditur : quos et vos inveniretis , si velletis , si circumspiceretis , si ad hoc vigilaretis , ut fructum daretis , Dixi quod potui , quantum potui . Puto autem manifestos nos esse vobis , sicut ait Apostolus , non ideo nos dicere , ut in nos ista faciat . Præstet Deus , ut hæc non frustra dixerim : præstet Deus , ut terra irrigata sitis , non lapidea , sicut Judæorum , unde tabulas lapideas accipere meruerunt ; sed terra fructifera , terra quæ irrigata reddat agricolæ . Illi ipsi corde lapideo , quod significatum est lapideis tabulis , decimas dabant . Etiam gemitis , et nihil adhuc exit . Si gemitis , parturite ; si parturitis , parite . Quare gemitus inanis ? quare gemitus sterilis ? Viscera torquentur , annon est intus quod edatur ? « Rigans montes » de superioribus suis : de fructu operum tuorum satiabitur terra . » Beati qui faciunt , beati qui ista fructuose audiunt , beati qui non inaniter clamant . « De fructu operum tuorum satiabitur terra : producat fœnum jumentis , et herbam servituti hominum . » Ut quid hoc ? « Ut educat panem de terra . » Quem panem ? Christum . De qua terra ? De Petro , de Paulo , de cæteris dispensatoribus veritatis . Audi quia de terra : « Habemus , inquit , thesaurum istum in vasis fictilibus , ut eminentia sit virtutis Dei ¹ . Ipse est panis qui de cœlo descendit ² , » ut e terra educatur , cum per servorum suorum carnem prædicatur . Terra fœnum producit , ut panem de terra educat . Quæ terra fœnum producit ? Plebes piæ , plebes sanctæ . Ut de qua terra panis educatur ? Verbum Dei de Apostolis , de dispensatoribus sacramentorum Dei , adhuc in terra ambulantes , adhuc corpus terrenum portantibus .

XIII. « Et vinum lætificat cor hominis ³ . » Nemo se ad ebrietatem paret , imo se omnis homo ad ebrietatem paret . « Calix tuus inebrians quam præclarus est ⁴ ! » Nolumus

¹ 2 Cor. iv, 7. — ² Joan. vi, 41. — ³ Psal. ciii, 15. — ⁴ Id. xxii, 5.

dicere : Nemo se inebriet . Inebriamini , sed videte unde , Si vos inebriat calix Domini præclarus , videbitur ista ebrietas in operibus vestris , videbitur in sancto amore justitiæ , videbitur postremo in alienatione mentis vestræ , sed a terrenis in cœlum . « Ut exhilaret faciem ejus in oleo . » Video quæ terra quantum fructum educat , si producat fœnum jumentis . Non isti servi vendunt quod dant ; non enim venditores Evangelii sunt : gratis dant , quia gratis acceperunt . Gaudent bonis operibus vestris , hoc enim vobis prodest : non enim quærunt datum , sed requirunt fructum . Quid est exhilaratio faciei in oleo ? Gratia Dei , nitor quidam in manifestationem : sicut dicit Apostolus : « Unicuique autem datur Spiritus ad manifestationem ¹ . » Gratia quædam , quæ est hominum ad homines perspicua , ad conciliandum sanctum amorem , oleum dicitur , in nitore divino : et quoniam excellentissima in Christo apparuit , totus orbis eum diligit : qui cum contemptus hic esset , adoratur modo ab omni gente : « Quoniam ipsius » est regnum , et ipse dominabitur gentium ² . » Tanta est enim ejus gratia , ut multi qui in eum non credunt , laudent eum , et propterea dicant nolle se in eum credere , quia nemo potest implere quod jubet . Laudando impediuntur , qui in illum vituperando sæviebant . Amatur tamen ab omnibus , prædicatur ab omnibus ; quia excellenter unctus , ideo Christus . Christus enim unctus , a chrismate dictus Christus . Messias hebraïce , græce Christus , latine Unctus : sed corpus suum totum perunguit . Omnes ergo venientes accipiunt gratiam , ut exhilaretur facies in oleo .

XIV. « Et panis cor hominis confirmat ³ . » Quid est hoc , fratres , quasi coëgit intelligi de quo pane diceret . Panis enim iste visibilis stomachum confirmat , ventrem confirmat : est alius panis qui cor confirmat , quia panis

¹ 1 Cor. xii, 7. — ² Psal. cxi, 29. — ³ Id. ciii, 16.

est cordis. Jam enim dixerat de pane superius: « Ut educat panem de terra, » sed non dixerat qualis panis sit ille. « Et vinum lætificat cor hominis. » Videtur jam dicere de spiritali vino; nam id lætificat cor hominis. Sed adhuc putetur de vino isto dici, quia ebrii quasi læti corde videntur apparere. Utinam lætentur, et non rixentur. Dicis mihi: Quid lætius ebrio? Imo quid insanius ebrio? quid plerumque iracundius? Est ergo vinum quod vere lætificat cor, et non novit aliud nisi lætificare cor. Sed ne putes hoc quidem de spiritali vino debere accipi, de illo pane autem non; quod et ipse spiritalis sit, exposuit et ipsum: « Et panis, inquit, cor hominis confirmat. » Ergo sic accipe de pane, quomodo accipis de vino: intus esuri, intus siti. « Beati enim qui esuriunt et sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur¹. » Panis ille justitia est, vinum illud justitia est: veritas est, veritas Christus est². « Ego sum, inquit, panis vivus, qui de cœlo descendi³. » Et, « Ego sum vitis, vos sarmenta⁴. Et panis cor hominis confirmat. »

XV. « Satiabuntur ligna campi: » sed de ista gratia educta de terra. « Ligna campi, » plebes populorum. « Et cedri Libani quas plantavit⁵. » Cedri Libani, potentes in sæculo, et ipsi satiabuntur. Pervenit panis, et vinum, et oleum Christi ad senatores, ad nobiles, ad reges: satiata sunt ligna campi. Prius humiles satiati sunt, deinde etiam cedri Libani, sed « Quas plantavit » ipse: piæ cedri, religiosi fideles; tales enim plantavit. Nam et impii sunt cedri Libani, « Quia conteret Dominus cedros Libani⁶. » Libanus enim mons est: ibi istæ arbores etiam secundum litteram annosissimæ sunt et excellentissimæ. Libanus autem interpretatur, sicut legimus in eis qui ista

¹ Matth. v, 6. — ² Joan. xiv, 6. — ³ Id. vi, 41. — ⁴ Id. xv, 5. — ⁵ Psal. ciii, 16. — ⁶ Id. xxviii, 5.

scripserunt, Candidatio. Libanus dicitur candidatio: videtur autem candidatio esse sæculi hujus, modo nitentis et fulgentis in pompis suis. Sunt ibi cedri Libani, quas plantavit Dominus, ipsæ satiabuntur quas plantavit Dominus. « Nam arbor, inquit, quam non plantavit Pater meus, » eradicabitur¹. Et cedri Libani quas plantavit. »

XVI. « Illic passerres nidificabunt. Fulicæ domus dux est eorum². » Ubi passerres nidificabunt? In cedris Libani. Jam audivimus quæ sint cedri Libani, nobiles sæculi, excelsi genere, opibus, honoribus: et ipsæ cedri satiantur, illæ tamen quas plantavit ipse. In his cedris passerres nidificant. Qui sunt passerres? Aves quidem et volatilia cœli sunt passerres, sed minuta volatilia solent dici passerres. Sunt ergo quidam spiritales nidificantes in cedris Libani: id est, sunt quidam servi Dei audientes in Evangelio: « Dimitte omnia tua, » vel, « Vende omnia tua, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis, » et veni, sequere me³. » Et non tantum hoc audierunt magni, sed audierunt et parvi, et voluerunt hoc facere et parvi, et esse spiritales; non jungi uxoribus, non macerari cura filiorum, non habere proprias sedes quibus deligarentur, sed ire in vitam quamdam communem. Sed quid dimiserunt isti passerres? Minuti enim sæculi hujus passerres videntur. Quid dimiserunt? quid magnum dimiserant? Alius se convertit, dimisit cellam patris sui inopem, vix unum lectum et unam arcam. Convertit se tamen, factus est passer, quæsivit spiritalia. Bene, optime: non illi insultemus, non dicamus: Nihil dimisisti. Non superbiat quia multa dimisit. Petrus ut sequeretur Dominum, novimus quod piscator erat, quid potuit dimittere? Vel frater ejus Andreas, vel filii Zebedæi Joannes et Jacobus, etiam ipsi piscatores⁴: et tamen quid dix-

¹ Matth. xv, 13. — ² Psal. ciii, 27. — ³ Matth. xix, 21. — ⁴ Id. iv, 12 et 18.

runt? « Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te¹. » Non ei dixit Dominus: Oblitus es paupertatem tuam; quid dimisisti ut totum mundum acciperes? Multum dimisit, fratres mei, multum dimisit, qui non solum dimisit quidquid habebat, sed etiam quidquid habere cupiebat. Quis enim pauper non turgescit in spem sæculi hujus? Quis non quotidie cupit augere quod habet? Ista cupiditas præcisa est: ibat in immensum, accepit modum, et nihil dimissum est? Prorsus totum mundum dimisit Petrus, et totum mundum Petrus accepit. Quasi nihil habentes, et omnia possidentes². Faciunt hoc multi: ista faciunt qui parum habent, et veniunt, et fiunt passeret utiles. Minuti videntur, quia non habent altitudinem dignitatis sæcularis: nidificant in cedris Libani. Etenim et cedri Libani, nobiles, et divites, et excelsi hujus sæculi, quoniam cum timore audiunt, « Beatus qui intelligit super egenum » et pauperem³: » attendunt res suas, villas suas et omnes superfluas copias, quibus videntur excelsi, et præbent illas servis Dei; dant agros, dant hortos, ædificant ecclesias, monasteria, colligunt passeret, ut in cedris Libani nidificent passeret. Ergo satiantur « Cedri Libani, quas » plantavit » Dominus, et « Illic passeret nidificabunt. » Attendite totam terram, si non ita est. Ut loquerer ista, non solum credidi, sed et vidi; dedit mihi intellectum ipsum experimentum. Interrogate latissimas terras qui nostis, et videte in quam multis cedris Libani passeret illi, de quibus locutus sum, nidificant.

XVII. Sed tamen, fratres mei, ipsi passeret si spirituales sunt, quamvis nidificent in cedris Libani, non pro magno habere debent cedros Libani, et putare illos esse superiores, a quibus eorum necessaria complentur. Passeret enim sunt; illæ autem cedri Libani sunt. Ergo « Fulicæ

¹ Matth. xix, 27. — ² 2 Cor. vi, 10. — ³ Psal. xl, 2.

» domus dux est passerum. » Quamvis in cedris Libani nidificent passeret, non tamen cedri Libani duces sunt passerum. Ecce satiabuntur ligna campi, omnes populi: et cedri Libani satiabuntur, quas plantavit Dominus, omnes nobiles et excelsi fideles. Illic, id est, in cedris Libani, passeret nidificabunt, præbebunt ramos facultatum suarum colligendis minutis spiritalibus. Præbent ista, faciunt hæc cedri Libani quas plantavit Dominus; faciunt et libenter faciunt; noverunt quid faciant, noverunt quid accipiant. Sed passeret quamvis in cedris Libani nidificabunt, « Fulicæ domus dux est eorum. » Quæ est fulicæ domus? Fulica, sicut omnes novimus, marina avis est, vel in stagnis est, vel in mari est. Habet quamdam domum non facile in littore terræ, aut nunquam; sed in iis quæ in media aqua sunt: plerumque ergo in petris quas aqua circumdat. Intelligimus ergo petram esse idoneam fulicæ domum, nusquam fortius et firmitus habitat, quam in petra. In quali petra? In mari constituta. Et si tunditur fluctibus, frangit tamen fluctus, non frangitur: hoc habet magnum petra in mari constituta. Quanti fluctus contuderunt petram nostram, Dominum Christum? Elisi sunt in illum Judæi, illi fracti sunt, ille integer mansit. Et unusquisque imitans Christum, ita sit in isto sæculo, id est, in isto mari, ubi non potest nisi procellas tempestatesque sentire, ut nulli vento cedat, nulli fluctui, sed omnia excipiat, et integer maneat. Ergo fulicæ domus et fortis est, et humilis. Non habet domum fulica in excelsis: nihil illa domo firmitus, et nihil humilius. In cedris quidem nidificant passeret, propter præsentem necessitatem: sed petram illam habent ducem, quæ fluctibus tunditur, et non frangitur; imitantur enim Christi passiones. Et si forte cedri Libani iratæ fuerint, et aliquid molestiæ vel scandali servis Dei in ramis suis commoverint, vola-

bunt quidem inde passeret; sed vae cedro remanenti sine nidis passerum. Passeret enim non naufragabunt, non peribunt; quia « Fulicæ domus dux est eorum. »

XVIII. Quid ergo sequitur? « Montes altissimi cervi vis¹. » Cervi magni, spirituales, transcendent in cursu omnia spinosa veprium atque sylvarum. « Qui perficit, » inquit, pedes meos sicut cervi, et super excelsa statuet me². » Teneant montes altos, alta præcepta Dei, sublimia cogitent, teneant ea quæ multum eminent in Scripturis, justificentur in summis: cervis enim sunt illi montes altissimi. Quid de humilibus bestiis? Quid de lepore? quid de hericio? Lepus minutum animal et infirmum, hericius etiam spinosum: illud animal timidum, illud animal spinis coopertum. Spinæ quid significant, nisi peccatores? Qui peccat quotidie, etiamsi non magna peccata, minutissimis spinis coopertus est. In eo quod timet, lepus est; in eo quod minutissimis peccatis operitur, hericius est: et non potest tenere excelsa illa et perfecta præcepta. Illi enim « Montes altissimi cervis. » Quid ergo, isti pereunt? Non. Sic enim « Montes altissimi cervis, » ut et his videas quid sequatur: « Petra refugium hericiis et leporibus. » Quia factus est Dominus refugium pauperi³. Ponas petram illam in terra, refugium est hericiis et leporibus: ponas illam in mari, domus est fulicæ. Ubique utilis petra. Et in montibus ipsa utilis: montes sine petræ fundamento ruerent in profundum. Nonne jamdudum de montibus dicebatur: Illic volatilia cœli inhabitabunt, de medio petrarum dabunt voces suas⁴? » Ubi ergo petra refugium nostrum, sive in montibus excelsa sit, sive in mari tundatur fluctibus, non frangitur, sive in terra solidetur; ad illam cervi, ad illam fulica, ad illam lepus et hericius. Tundant pectora lepores, et hericii confiteantur

¹ Psal. cxi, 18. — ² Id. xvii, 34. — ³ Id. ix, 10. — ⁴ Id. cxi, 12.

peccata sua: licet cooperti sint minutis quodammodo peccatis; non eis tamen deest petra, quæ illos docuit dicere: « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos » dimittimus debitoribus nostris¹. Petra refugium hericiis et leporibus. »

XIX. « Fecit lunam in tempora². » Intelligimus spiritualiter Ecclesiam crescentem de minimo; et ista mortalitate vitæ quodam modo senescentem; sed ut propinquet ad solem. Non istam lunam dico visibilem oculis, sed quæ hoc nomine significatur. Ista quando obscura erat Ecclesia, quando nondum apparebat, nondum eminebat, seducebantur homines, et dicebatur: Hæc est Ecclesia, hic est Christus: « Ut sagittarent in obscura luna rectos » corde³. » Modo quam cæcus est, qui plena luna errat? « Fecit lunam in tempora. » Hic enim temporaliter transit Ecclesia: non enim hic erit semper ista mortalitas. Augeri et minui aliquando transibit: in tempora facta est. « Sol sgnovit occasum suum. » Et hic quis sol, nisi Sol ille justitiæ, quem sibi non ortum impii plangent in die iudicii? Qui dicturi sunt in illo die: « Ergo erravimus a » via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol » non ortus est nobis⁴. » Ei sol iste oritur, qui intelligit Christum. Recedit autem ab intellectu ejus Christus, qui sic iratus fuerit fratri suo, ut teneat odium. « Itaque irascimini, et nolite peccare⁵. » Charitas etsi irascitur aliquando, ut corrigat, non tenetur rea; quia non inveteravit ira, ut verteretur in odium. Si autem ira conversa fuerit in odium, occidit sol super iracundiam vestram. « Non igitur occidat sol super iracundiam vestram⁶. »

XX. Nec putetis, fratres, ideo nonnullis solem esse adorandum, quia sol in Scripturis aliquando Christum

¹ Math. vi, 12. — ² Psal. cxi, 19. — ³ Id. x, 3. — ⁴ Sap. v, 6. — ⁵ Psal. iv, 5. — ⁶ Ephes. iv, 26.

significat. Talis est enim dementia hominum : quasi adorandum aliquid dicatur , cum dicitur : Sol Christum significat. Adora ergo et petram , quia Christum significat¹. « Sicut ovis ad victimam ductus est² : » adora et ovem , quia Christum significat. Vicit leo de tribu Juda³ : adora et leonem , quia Christum significat. Videte quam multa Christum significant : omnia ista Christus in similitudine , non in proprietate. Quæris proprietatem Christi ? « In » principio erat Verbum , et Verbum erat apud Deum⁴. » Ecce proprietatem Christi , per quam factus es. Vis audire et proprietatem per quam reffectus es ? « Et Verbum caro » factum est , et habitavit in nobis⁵. » Cætera similitudines sunt. Intellige , esto Scripturæ capax , ut aliud videas objici oculis tuis , aliud innui cordi tuo.

XXI. Sol ergo ille , jam securi dicimus , Sol ille justitiæ , non sine causa impiis non oritur , etsi volunt : ipsa enim Sapientia dicit : « Quærent me mali , et non invenient. » Quærent , et non invenient. » Et quare ? « Oderunt » enim sapientiam. » Ipsa Sapientia loquitur , et dicit : « Quærent me mali , et non invenient , oderunt enim sapientiam⁶. » Si ergo oderunt , quare quærunt ? Quærunt , non ut fruantur , sed ut inflentur : quærunt sermonibus , oderunt moribus. « Spiritus enim sanctus » disciplinæ fugiet fictum , et auferet se a cogitationibus » quæ sunt sine intellectu⁷. » Non ergo sol ille oritur impiis , non oritur malis. At vero de isto sole quid dictum est ? « Qui facit solem suum oriri super bonos et malos , » et pluit super justos et injustos⁸. » Ergo de illo Sole justitiæ nescio quid significat Psalmus iste secundum mysterium ; nam videmus ista fieri in creatura etiam secundum speciem rerum visibilium : « Sol agnovit occa-

¹ 1 Cor. x, 4. — ² Isaï. lIII, 7. — ³ Apoc. v, 5. — ⁴ Joan. i, 1. — ⁵ Ibid. 14. — ⁶ Prov. i, 28, 29. — ⁷ Sap. i, 5. — ⁸ Matth. v, 45.

» sum suum. » Quid est , « Sol agnovit occasum suum ? » Christus agnovit passionem suam. Occasus Christi , passio Christi. Sed numquid sic sol occidit , ut non oriatur ? « Numquid qui dormit , non adjiciet , ut resurgat¹ ? » Nonne ipse dixit : « Dormivi turbatus ? » et de illo dictum est : « Exaltare super cælos Deus² ? » Ergo , « Sol agnovit » occasum suum : quid est , « Agnovit ? » Approbavit , placuit ei. Et unde ostendimus , quia agnovit , hoc est , placuit ei ? Quid enim non novit Deus ? quid non novit Christus ? Et tamen dicturus est in fine quibusdam : « Non » novi vos³. » Quomodo ergo ibi , « Non novi vos , » non est quasi , Mihi ignoti estis , sed non mihi placetis : sic et hic , « Agnovit occasum suum , » placuit illi occasus suus. Si enim ei displiceret , quomodo pateretur ? Homini enim , quia non est ille sol , etiamsi displiceat passio sua , patitur et quod non vult. Ille autem non pateretur , nisi ei placeret : id est , nisi agnosceret occasum suum , non occideret ; quia ipse ait : « Potestatem habeo ponendi animam » meam , et potestatem habeo iterum sumendi eam : nemo » tollit eam a me , sed ego ipse eam pono a me⁴. » Ergo , « Agnovit occasum suum. »

XXII. Et quid , cum occidit sol , cum passus est Dominus ? Factæ sunt quædam tenebræ in Apostolis , defecit spes eorum , quibus primo magnus et redemptor omnium videbatur. Quare ? « Posuisti tenebras⁵ ; et facta est nox : » ibi pertransibunt omnes bestię sylvæ. Catuli leonum » rugientes , ut rapiant , quærentes a Deo escam sibi⁶. » Quid intelligam spiritaliter catulos leonum , nisi spiritalia nequitie⁷ ? quid intelligam nisi mala dæmonia , quæ dæmonia pascuntur erroribus hominum ? Sunt enim principes

¹ Psal. xl, 9. — ² Id. lvi, 5, 6. — ³ Matth. vii, 23. — ⁴ Joan. x, 18. — ⁵ Hosce versus jam supra exposuit in Enarrat. Psalm. c. n. 12, 13. — ⁶ Psal. ciii, 20, 21. — ⁷ Ephes. vi, 12.

dæmoniorum, et sunt dæmonia quædam contemptibilia. Ista dæmonia seducere animas quærunt, sed ubi sol non ortus est; tenebræ enim sunt. Et cum tenebræ sunt, quærunt catuli leonum quos devorent. Ipse leo major, princeps omnium talium leonum, quid de illo dictum est? « Nescitis quia adversarius vester diabolus, tanquam leo » rugiens circuit, quærens quem devoret¹? » Ideo « Quærentes a Deo escam sibi; » quia nec tentari quis potest a diabolo, nisi permittente Deo. Job sanctus ante diabolum erat, et tamen longe ab illo erat: aspectu ante illum, potestate remotus ab illo. Quando auderet tentare vel carnem, vel facultates ejus quas possidebat, nisi accepisset potestatem? Quare autem datur potestas? Aut ad damnandos impios, aut ad probandos pios. Juste hoc totum Dominus agit: et in neminem habet diabolus potestatem, vel in aliquid ejus, nisi ille concedat, cui est potestas summa et sublimis. Sic diabolo, sic homini nulla est potestas in hominem, nisi desuper detur. Stabat judex vivorum et mortuorum ante hominem judicem, et inflavit se homo judex videns ante se Christum, et ait: « Nescis quia potestatem habeo occidendi et dimittendi te? » At ille qui venerat et eum docere, a quo judicabatur: « Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi esset tibi desuper data². » Et homo et diabolus et quælibet dæmonia non nisi accepta potestate nocent: sed proficientibus non nocent. Malis ita sunt tanquam ignis fœno, bonis ita sunt tanquam ignis auro. Manducatus est Judas ut fœnum, probatus est Job ut aurum. « Posuisti tenebras, et facta est nox: illic pertransibunt omnes bestię sylvæ. » Jam bestię sylvæ alio modo: alio enim et alio modo semper ista intelliguntur; quomodo Dominus ipse agnus, ipse leo. Quid tam diversum quam agnus et leo? Sed qualis agnus?

¹ 1 Petr. v, 8. — ² Joan. xix, 10, 11.

Qui vinceret lupum, vinceret leonem. Ipse petra, ipse pastor, ipse janua. Pastor intrat per januam: et dicit: « Ego sum pastor bonus. » et dicit: « Ego sum janua¹. » Ipsum leonis nomen Dominum significat; quia, « Vicit » leo de tribu Juda²: » et diabolus; quia, « Conculcavit leonem et draconem³. » Discite sic intelligere, cum figurate ista dicuntur: ne forte ubi legeritis quod Christum significat petra⁴, ubique petram Christum putetis. Significat alia atque alia, sicut littera quo loco ponatur vide, ibi intelligis ejus vim. Si audieris litteram primam in nomine Dei, et putaveris eam semper ibi ponendam, delebis eam in nomine diaboli. Ab eadem enim littera incipit nomen Dei, a qua incipit nomen diaboli: et nihil tam disjunctum, quam Deus et diabolus. Vide ergo quam absurdus est a rebus et humanis et divinis, qui dixerit de littera singulari D, Non debet haberi in capite nominis diaboli. Et cum quæsieris, quare? Respondeat: Ego in nomine Dei legi istam litteram. Ridetur iste; nam nec talis est, cui digneris reddere rationem. Nolite ergo tam pueriliter sapere etiam ista divina, ut forte aliquis vestrum, quia dixi superius bestias sylvæ significare gentes, modo autem dico bestias sylvæ significare dæmonia et angelos prævaricationis, putet iis me aliquid contrarium dicere. Similitudines enim sunt, et in quocumque loco sunt, circumstantia sui exponuntur. « Illic pertransibunt » omnes bestię sylvæ. » Ubi? In nocte quam posuit Dominus, quia sol agnovit occasum suum. « Catuli leonum » rugientes, ut rapiant, quærentes a Deo escam sibi. » Merito Dominus venturus ad occasum suum, ipse Sol justitiæ agnoscens occasum suum, ait Discipulis, tanquam tenebris futuris, circuituro leone, ut quæreret quem de-

¹ Joan. x, 7 et 11. — ² Apoc. v, 5. — ³ Psal. xc, 13. — ⁴ 1 Cor. x, 4.

voraret, quod ille leo neminem devoraret, nisi peteret :
 « Hac nocte, inquit, postulavit Satanus vexare vos sicut
 » triticum, et ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides
 » tua¹. » Nonne Petrus, cum ter negavit², jam inter
 dentes leonis erat? « Catuli leonum rugientes, ut rapiant,
 » et ut quærant a Deo escam sibi. »

XXIII. « Ortus est sol. » Qui dixit : « Potestatem habeo
 » ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum
 » sumendi eam, agnovit occasum suum³, » et posuit
 eam ; « Ortus est sol, » et recepit eam. « Ortus est sol, »
 quia occidit sol, sed non extinctus est sol. Adhuc eis qui
 non intelligunt Christum, ipsa nox est ; adhuc eis sol or-
 tus non est : instent, ut intelligant, ne rapiantur a ru-
 gente leone. Nam ecce quibus ortus est, non eos audent
 invadere catuli leonum. Sequitur enim : « Ortus est sol,
 » et congregati sunt, et in cubilibus suis cubabunt. » Ma-
 gis magisque ubi oritur sol iste, ut intelligatur ab orbe
 terrarum, et clarificetur Christus in toto mundo, congre-
 gantur catuli leonum, illa dæmonia recedunt a persecu-
 tione Ecclesiæ, quæ instigabant persequi domum Dei,
 operando in filiis diffidentiae. Nam dictum est : « Secun-
 » dum principem potestatis aëris, qui nunc operatur in
 » filiis infidelitatis⁴. » Modo jam quia nemo eorum perse-
 qui audent Ecclesiam, « Ortus est sol, et congregati sunt. »
 Et ubi sunt? « Et in cubilibus suis cubabunt. » Cubilia
 eorum, corda infidelium. Quam multi gerunt leones cu-
 bantes in cordibus suis? Non inde erumpunt, non faciunt
 impetum in istam peregrinantem Jerusalem. Quare non
 faciunt? Quia jam ortus est sol, et splendet in toto orbe
 terrarum.

XXIV. Ergo vide quid sequatur, quia « Ortus est sol,

¹ Luc. xvii, 31, 32. — ² Matth. xxvi, 70-74. — ³ Joan. x, 18. —
⁴ Ephes. ii, 2.

» et congregati sunt, et in cubilibus suis cubabunt. »
 Quid tu, o homo Dei? quid tu, o Ecclesia Dei? quid tu,
 o corpus Christi, cujus caput in cælo est? quid tu facis,
 o homo unitas ejus? « Exiet, inquit, homo ad opus
 » suam¹. » Operetur ergo iste homo opera bona in secu-
 ritate pacis Ecclesiæ, operetur usque in finem. Aliquando
 enim erit quædam contenebratio, et fiet quidam impetus,
 sed in vespera, id est, in fine mundi: modo autem in pace
 et tranquillitate operatur Ecclesia, quia, « Exiet homo ad
 » opus suum, et ad operationem suam usque ad ves-
 » peram. »

XXV. « Quam magnificata sunt opera tua, Domine? »
 Merito magna, merito excelsa. Ubi facta sunt opera ista,
 tam magna? quæ illa statio Dei ubi stetit, vel quæ illa
 sessio ubi sedit, et ista operatus est? quis locus ubi ista
 operatus est? unde processerunt primo ista tam pulchra?
 Si ad litteram accipias, omnis ordinata creatura, ordinate
 currens, ordinate pulchra, ordinate oriens, ordinate occi-
 dens, ordinate peragens omnia tempora, unde processit?
 Ipsa autem Ecclesia quomodo accepit incrementa, suc-
 cessus, perfectionem? Quomodo destinatur ad finem
 quemdam immortalitatis? Quibus præconiis prædicatur?
 quibus mysteriis commendatur? quibus sacramentis oc-
 cultatur? qua prædicatione revelatur? ubi fecit hæc Deus?
 Video magna opera: « Quam magnificata sunt opera tua,
 » Domine. » Quæro ubi fecerit, locum non invenio; sed
 video quid sequatur. « Omnia in sapientia fecisti. » Ergo
 omnia in Christo fecisti. Ille contemptus, ille expalmatus,
 ille consputus; ille spinis coronatus, ille crucifixus, om-
 nia in illo fecisti. Audio, audio quid de illo tuo milite
 nunties hominibus, quid de illo præcone sancto prædices
 gentibus, Christum Dei Virtutem et Dei Sapientiam. Ir-

¹ Psal. ciii, 23. — ² Ibid. 24.